



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1508. usque ad annum 1513

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1769**

**VD18 90118456**

§. 88. Helvetii ad Gallorum partes deserendas a Papa sollicitati.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66433)

## §. LXXXVIII.

Sæcul. XVI.  
A. C. 1510.*Helveti ad Gallorum partes deserendas a Papa sollicitati.*

Nec tamen Veneti potissimum spei suæ præsidium reponebant in Ducis sui experientia, aut in exercitus robore, quem hostibus suis longe imparem probe agnovērunt, sed eorum fiduciam vel maxime auxit Pontificis clementia, cujus in Gallos indignatio amicitiam Venetis conciliabat: accessit etiam Reipublicæ solertia, quæ Julium contra Franciam identidem magis, ac magis concitare, toto studio adlaborabat, eum in finem, ut Papa novis curis distentus, vires suas alio distractas contra Venetos denuo Gal-  
lis jungere haud amplius valeret. Nec eos spes sua fefellit; Julius quippe ad Venetorum vota foedus quoddam adversus Gallos sancire meditabatur, atque Helvetios sollicitabat, ut & ipsi eidem accederent. Favebat ejus consilio præsens etiam rerum vicissitudo; Sedensis enim Episcopus nomine Matthæus Scheiner, Præsul ambitione tumidus, ad ampliores honorum gradus in Curia Romana adspirabat; unde Julius comperto viri proposito, alienæ cessit cupiditati, ut propriæ satisfaceret, Matthæo purpuram pollicitus, si Helvetios ad Pontificis partes pertraheret, eosque societati adjungeret.

*Raynald hoc  
ann. n. 25.  
Guic. l. 8.  
Bonnac. in  
Diariis.*

**Sæcul. XVI** geret : Cum igitur Episcopus dexteritate, ac persuadendi facilitate plurimum  
**A.C. 1510.** polleret, ac præterea apud Helvetios maxima auctoritate valeret, summo Pontifici de felici successu fidem dedit. Percommodum etiam accessit ejusdem consiliis, quod ultima jam pene dies instaret, quam Helvetii tollendæ cum Gallis societati præfixerant, quapropter Episcopus, ne eam denuo innovarent, sollicitè præpediebat; cumque hanc in rem in Helvetiorum negotiis Badæ comitia agerentur, iis ut interesset, occasionem opportune aucupabatur. Ea potitus nil prætermisit eorum, quibus Gallorum fidem Helvetiis suspectam redderet, ut vero illos in hanc nationem magis concitaret, eis auctor fuit, ut sua stipendia viginti librarum millibus augeri peterent. Id cum a Rege postularent, ea arrogantia ac protervia utebantur, ut Ludovicus non modo postulata negaret, sed & in illos graviter commoveretur, quod aggresses hi monticolæ, ut inquebat, leges ei dictare præsumerent. Ast hac repulsa nil gratius accidere poterat Scheinero: unde Helvetiis continuo suggerebat, ut datam Gallis fidem rumperent, ac Pontifici eandem addicerent: nec id exequi morabantur Helvetii, non sine magno Julii gaudio, qui novos hosce socios insigni Sedis Apostolicæ Defensorum nomine hono-

honorabat; Rex vero, ut horum defe-  
 ctionem repararet, Georgio de Supplex, Sæcul. XVI.  
A.C. 1510.  
 qui Ludovici nomine apud Grifonum  
 Rempublicam residebat, negotium de-  
 dit, ut cum illis foedus iniret, eosque  
 ad tuendum Mediolani Ducatum induce-  
 ret; hi enim non minus vicini erant,  
 quam Helvetii, imo illis adhuc commo-  
 dior in hanc ditionem patebat ingressus.  
 Regis petito lætanter, ac honestis con-  
 ditionibus annuere Grifones.

## §. LXXXIX.

*Angliæ Rex ad defectionem inductus.*

Præterea summus Pontifex Gallorum  
 potentiae opponere conabatur alium  
 Principem, nimirum Angliæ Regem,  
 qui cum ætate juvenis, ac communis  
 applausus laudisque aviditate flagraret,  
 nil desiderabilius habebat, quam ut regi-  
 minis sui auspicia, nomenque suum glo-  
 rioso quodam facinore commendaret; Ju-  
 lius tamen haud temere suspicabatur,  
 Anglos, utpote quorum ditiones nimi-  
 um distarent, nunquam cum Sede Apo-  
 stolica foedus ad arma tam inferenda,  
 quam repellenda palam inituros; qua-  
 propter Nuncio Apostolico id tantum in  
 mandatis dedit, Volsæum Henrici VIII.  
 clientem induceret, ut ipse in pacis fo-  
 dere, quod inter utrumque Regem pro-